

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (8)

3. DE FUNDATIONE OTTILIENSI FIRMANDA STABILIENTAQUE

3.1. DE DIFFICILI TEMPORE INTERMEDIO

Postquam P. Andreas Amrhein munere se abdicavit, in domo missionariā Ottiliensi spatium temporis incohabatur, quod perturbationum timorumque erat plenum et quod securitate internā stabilitāque carebat. Nam consociatio, quamvis inde ex initiis iam multos progressūs fecisset, stabile fundamentum iuridicum nondum habuit, eruditio monastica nondum erat perfecta et insuper illo tempore, id est in initio anni 1896ⁱ, «caput» quadamtenus ei deerat. Itaque etiam perturbationes internae interdum exoriebantur.

Episcopus Augustanus Petrus von Hötzl P.rem Bernvardum Baule, qui superior monasterii Sancti Andreae erat, die 4^o m. Ian. a. 1896^o ad tempus quoddam intermedium totius congregationis superiorem generalem instituerat.¹ Sed ex hac quōque re difficultates quaedam exortae sunt. Nam P. Andreas Amrhein, qui ex circumstantiis resignationis suae² cum P.re Bernvardo Baule bene agere non iam valebat, in epistolā die 4^o m. Febr. a. 1896^o ad episcopum datā ipse explicuit, quem successorem suum fore voluit.³ Quae quaestio etiam artē cum consociationis bonis necessario tradendis cohaerebat. Itaque episcopus P.rem Maurum Hartmann ex Africā revocare atque superiorem generalem

¹ Cfr Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. St. Ottilien 1954, p. 259 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum]; Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Gründerabt des Missionsklosters Schweiklberg und Apostolischer Administrator in temporalibus der Missionsbenediktiner von St. Ottilien. Winzer 1999, p. 64 adn. 151; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 125 (qui diem 5^{um} m. Ian. a. 1896^o indicat); Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 45; Frumentius RENNER: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner im deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 802.

² Vide supra cap. 2.3.6.3.

³ Cfr Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER: Der Gründer. Briefe von P. Andreas Amrhein (1844-1927). St. Ottilien 2010. II, pp. 1208 sqq. - Hac in epistolā P. Andreas Amrhein quattuor patres nominat, qui soli propter statum suum in superioratu generali suscipiendo in quaestionem venirent, nempe Basilius Ferstl, Bernvardus Baule, Maurus Hartmann, Cassianus Spiß. Uniuscuiusque indolem facultatesque P. Andreas Amrhein secundum perceptionem suam descripsit et conclusionem traxit Basilio Ferstl atque Bernvardo Baule ex indole et ob mancas facultates consociationem tradi non posse atque tantummodo Cassianum Spiß Maurumque Hartmann esse dignos aptosque.

reddere voluit.⁴ Rem iam aliquatenus instigaverat, sed cum novam condicio-

⁴ Cfr Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter I. St. Ottilien ²1979, pp. 230 sq.; Leander BOPP (1954), pp. 259 sq.; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation in St. Ottilien. In: *Studia Suarzacensia*. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 295, qui etiam explicationem, quam episcopus in epistulā die 7^o m. Febr. a. 1896^o ad Congregationem de Propaganda Fide datā exhibet, affert: «*Mihi aptissimus (sc. P. Maurus Hartmann) videretur, tum quia aetate aliquantulum profectior est ceteris tum quia est vir pius et zelosus et aequè versatus circa rem Missionariam ac circa administrationem domesticam Ottiliensem.*»

nem Ottilianis nuntiaret, iidem vehementer resistebant.⁵ Itaque omnia revocabantur et Bernwardus Baule, quamvis ut praepositus non nimis diligeretur,

(Textus originaliter Latinus).

⁵ P. Maurus Hartmann videtur ab multis Ottilianis, qui in patriā versabantur, non nimis aestimatus fuisse, cum unā ex parte esset vir quadamtenus rusticus atque satis directus, alterā ex parte cum confratres timerent, ne īdem P.ri Andreae Amrhein nimis adhaereret atque hunc in modum nulla mutatio fieret. Tamen Ottiliani Maurum Hartmann fortasse non omnino iuste diiudicaverunt, quia ipse de semet ipso atque de facultatibus suis vere modeste cogitaverit, superioratum generalem omnino non aspiravit, denique in rebus faciendis ab aliis nihil postulavit, quod ipse praestare paratus non erat. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 231; Leander BOPP (1954), pp. 259 sq. - De hac re *cfr* etiam epistula die 11^o m. Febr. a. 1896^o ab P.re Leone Lang et P.re Alfonso Adams ad episcopum Augustanum data (ASO, A.2.1.6) atque epistula Mauri Hartmann die 8^o m. Apr. a. 1896^o ad episcopum Augustanum missa (ASO, A.2.1.6). [Utraque epistula est copia, cuius originale in ordinariatū Augustano asservatur.]

locum suum retinuit.⁶

Tamen problemata generalia, quae cum condicione atque statū consociationis Ottiliensis cohaerebant, multo maiora erant. Nam illo tempore (sicut etiam antea) condicio iuridica consociationis Ottiliensis variis ex causis omnino non erat clara. Sic ex. gr. consociatio ab re publicā nondum erat agnita, eius status sub aspectū ecclesiastico non erat definitus, nesciebatur, utrum vota monastica revera essent valida, et sic porro.

⁶ Videtur P. Bernwardus Baule ut praepositus non semper prudenter egisse. Nonnulli coaequales dixerunt eum indulgentiā quādam exhibitā homines sibi alligare voluisse, ita ut in munere superioris generalis verus successor P.ris Andreae Amrhein fieret. Eadem opprobria (quin etiam vehementiora) ipse P. Andreas Amrhein erga Bernwardum Baule exhibuit. *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER: *Der Gründer. Briefe* (2010) II, pp. 1214 sqq. - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 416 adn. 69 putat non omnino falso ei opprobrio datum esse ipsum imperspicue egisse, ut superioratum generalem sibi acquireret. Cyrill WEHRMEISTER, qui illo tempore iam monasterium Ottiliense ingressus erat, in recordationibus suis (*Erinnerungen*, s.a., p. 29 [ASO, A.1.8.1]) scribit se cum Bernwardo Baule, cum idem esset superior, generaliter bene agere potuisse, etiamsi ipsi nonnullae res non ita placuissent, velut illa condicio, quā Bernwardus Baule interdum indolem non satis apertam monstravisset. - Nihilominus Leander BOPP (1954), p. 259 affirmat Bernwardum Baule studiosissime laboravisse, ut Ottiliensis domus missionaria servaretur. - Confratres autem - ut traditur - eum tamen praepositum retinere voluerunt, quia «rem incohavisset, quā de causā eam etiam ad finem perduceret.»

Propter talem incertitudinem condicionum episcopus Augustanus Petrus von Hötzl, cui tunc temporis res Ottiliana curanda erat, die 7^o m. Ian. a. 1896^o scripto modo quattuor quaestiones P.ri Bernvardo Baule superiori posuit, ut ipse sub fundamenta responsorum melius sciret, quid faciendum esset. Interrogaverat autem episcopus, num Ottiliani regulam Sancti Benedicti ut regulam congregationis adhiberent; quam normam et fratres et sorores sequerentur, quod attinet ad preces cottidianas, ad labores, ad modum vivendi; num principia omnibus nota exstarent, quae ad commercium inter fratres et sorores spectarent; quid interea factum esset, ut problemata possessionis solverentur. Ad has quaestiones Bernvardus Baule die 9^o m. Ian. a. 1896^o episcopo secundum scientiam suam diligenter atque fuse respondit.⁷ Magni momenti sunt responsa ad quaestionem primam atque secundam. Nam unā ex parte Bernvardus Baule scripsit Ottilianos regulam Sancti Benedicti sequi atque omnes ipsā inflammatos esse et insuper secundum ipsius persuasionem omnia collapsura esse, si haec regula eis demeretur. Alterā ex parte scripsit constitutiones exaratas exstare, quas episcopus Pancratius von Dinkel approbaverat, quae tamen congregationi non satis notae essent.

Hoc indicium de constitutionibus approbatis, quae res revera ita se habuit,⁸ erat alicuius ponderis. Sed episcopus von Hötzl videtur hōc punctum sive non vidisse sive non satis curavisse. Si tamen īdem hōc indicium magis respexisset, quaedam difficultates - ut plures posteriores iudicant - fortasse facilius solvi potuissent.

⁷ De re *cfr* Leander BOPP (1954), p. 261; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 227. - *Cfr* ipsa epistula ab P.re Bernvardo Baule die 9^o m. Ian. 1896^o ad episcopum Augustanum data (ASO, A.2.1.6). Totum textum documenti unā cum quaestionibus episcopi atque fuis responsis Bernvardi Baule praebet etiam Paulus WEISSENBERGER: Unveröffentlichte Aktenstücke zur Frühgeschichte der Erzabtei von St. Ottilien. *In*: Jahrbuch des Vereins für Augsburger Bistumsgeschichte 1, 1967, pp. 89 sqq.

⁸ Vide supra cap. 2.3.2.

Rebus in initio anni 1896ⁱ sic stantibus ipsi Ottiliani de salute suā, id est de existentiā futurā consociationis suae timuerunt, cum etiam periculum eis imminere videretur, ne tota res dissolveretur. Hac condicione difficillimā Ottilianis unicus exitus atque unicum solacium erat in eo, ut auxilium ab Beata Maria Virgine peterent. Eā de causā die 2^o m. Febr. a. 1896^o, ut crisis superaretur, tota congregatio Ottiliensis se dedicavit Sanctae Mariae et se posuit sub tutelā Beatae Mariae Virginis de Perpetuo Succursu.⁹ Documentum scriptum exaraverunt, quod omnes patres, fratres clerici atque fratres laici subscripserunt.¹⁰

⁹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 260 sq; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 237; Hartmut MADL (1999), p. 63; Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 158; Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei Sankt Martin, Beuron. Beuron 1963, p. 263.

¹⁰ Integrum textum Theodisce conscriptum huius dedicationis exhibent Leander BOPP (1954), p. 260; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 237. - Videtur quidam parvus error in formulam dedicationis irrepsisse, quia omnino in initio textūs legitur: «*Sancta Maria, Mater Dei atque Domina de Succursu Perpetuo*» (versio Latina). In fine autem Ottiliani promittunt festum «Auxilium Christianorum» ut publicum diem festum in congregatione celebratum iri. Tamen Beata Maria Virgo sub variis titulis venerationem percipit, inter quos sunt duo diversi «B.M.V. de Perpetuo Succursu» (qui die 27^o m. Iunii celebratur) et «B.M.V. Auxilium Christianorum» (qui die 24^o m. Maii celebratur).

Agebatur ergo hac in crisi revera de existentiā consociationis. Eo difficilius episcopo erat solutionem invenire. Sed prudenter et erga consociationem Ottiliensem etiam benevolenter egit. Nam consultationes instituit atque deliberationes proposuit, quae - saltem partim - bonam viam monstraverunt. Die enim 18^o m. Febr. a. 1896^o epistolam ad cardinalem Ledochowski, Praefectum Congregationis de Propagandā Fide direxit, quā praeter alia imprimis agebatur de eius curā, quid in futurum fieret de ipsā consociatione Ottiliensi.¹¹ Tamen episcopus ipse deliberationes omnino firmas nondum habuisse videtur. Nam quod attinet ad futurum statum Ottilianorum, scribit sibi aptum esse videri, cum domus missionaria quoad vitam, institutiones disciplinamque sub ditione episcopatus Bavariae esset,¹² sed quoad regionem missionariam ab Congregatione de Propagandā Fide duceretur. Hunc in modum episcopus recurrebat ad proposita anno 1894^o exhibita, quibus, ut domus missionaria Ottiliensis in possessionem dioecesium Bavaricarum transiret atque sub ditione alicuius Consilii episcoporum esset, quadamtenus postulabatur.¹³ Sed ut celeriter animadvertetur, cardinalis Ledochowski haec proposita non iam intererant.¹⁴ Alterā ex parte episcopus Augustanus in eādem epistolā delibera-

¹¹ *Cfr* epistula episcopi Petri von Hötzl die 18^o m. Febr. a. 1896^o ad cardinalem Ledochowski data, cuius copia in archivo Ottiliensi (ASO, A.2.1.6) invenitur (originale asservatur in ordinariatu Augustano).

Cfr etiam Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 238 sq.; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 159; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 296; Hartmut MADL (1999), p. 64; Frumentius RENNER: *Benediktinerkongregation* (1999), p. 802; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 46; Johanna BUSCHMANN: «Funda nos in pace». Abt Ildefons Schober und die Gründung von St. Ottilien. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER: *Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003*, p. 296.

¹² Ut Leander BOPP (1954), p. 261 et Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 230 referunt, videtur aliquatenus eodem tempore - quamvis exactum indicium non constet - Augustanus vicarius generalis Dr Franciscus Antonius Henle apud Ottilianos fuisse atque eos illuc adducere conatus esse, ut ab approbatione Romanā abscederent atque tantummodo congregatio episcopalis esse vellent, cum hunc in modum difficultates facilius superari possent. Quod propositum Ottiliani tamen repudiaverunt, quia veri Benedictini esse voluerunt.

¹³ *Cfr* supra cap. 2.3.5.3.

¹⁴ Itaque cardinalis Ledochowski illa proposita de Consilio episcoporum tali temporis momento deposuit, quo facile ad effectum adduci potuissent. Sic deliberatio exoritur, num idem fortasse eā de causā mentem mutaverit, quia P. Andreas Amrhein munere se abdicaverat, qui cardinali quōque saepe non satis ordinatim agere videbatur. Deinde autem cardinalis possibilitatem vidit, quā domus missionaria bene atque stabiliter constitui potuit.

tiones protulit, quomodo verus bonusque spiritus ordinis monastici in consociationem introduci posset.¹⁵ Cum autem episcopo patres Ottiliani ipsi illo temporis momento adhuc *«nimis iuvenes atque immaturi»* esse viderentur, *«ut alicui ex illis facultas attribueretur, qua perpetuo atque solus institutum duceret»*,¹⁶ auxilium aliunde petendum esse putavit. Qua in re - ut scripsit - se statim de Beuronensibus cogitavisse, qui Ottilianis fortasse adiumento atque saluti esse possent. Itaque episcopus cardinalem instanter rogavit, ut archiabbatem Beuronensem Placidum Wolter adduceret, ut *īdem* duos tresve patres ad consociationem Ottiliensem mitteret, ex quibus cardinalis unum ut superiorem generalem ad tempus institueret. Duas ergo vias aliquatenus diversas episcopus Augustanus monstravit.

¹⁵ Generaliter autem etiam episcopus Petrus von Hötzl Ottilianis bonum impetum atque bonam disciplinam esse testatur. - *Cfr* eadem epistula (ASO, A.2.1.6).

¹⁶ Textus originaliter Theodiscus.

Tamen Petrus von Hötzl eōdem die 18^o m. Febr. a. 1896^o epistulariter etiam ad ipsum archiabbatem Beuronensem Placidum Wolter se convertit, a quo eōdem modō auxilium pro Ottilianis peteret.¹⁷ Sed responsum Placidi Wolter iam die 20^o m. Febr. a. 1896^o missum primo satis cautum erat, qui iure meritoque scripsit sub condicionibus difficilibus, quae tunc vigerent, Congregationem Beuronensem in hanc rem immergi non posse, nisi antea accuratissime investigarentur et personalia et res oeconomicae consociationis Ottiliensis. Ceterum se responsum atque sententiam cardinalis Ledochowski hac in re exspectare velle.¹⁸

Itaque progressus rerum illo tempore revera ab cardinali Ledochowski dependebat. Cui - ut apparuit - non solum aspectus missionarius consociationis Ottiliensis cordi erat, sed eius etiam Ottilianorum fundatio monastica Benedictinaque intererat. Itaque ipse in rebus instigandis atque communicandis partes magni momenti suscepit.

¹⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 240; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 159; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 297; Hartmut MADL (1999), p. 64; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83.

¹⁸ *Cfr* epistula Placidi Wolter die 20^o m. Febr. a. 1896^o ad episcopum Augustanum directa (ASO, A.2.1.6). [Copia, cuius originale in ordinariatū Augustano asservatur.]

Itaque medio mense Februario¹⁹ cardinalis Ledochowski ad Hildebrandum de Hemptinne abbatem primatem Benedictinorum se convertit, ut primo idem archiabbatem Beuronensem Placidum Wolter propter auxilium Ottilianis ferendum adiret.²⁰ Itaque eodem mense Februario a. 1896ⁱ Hildebrandus de Hemptinne in Beuronensi capitulo generali, in quo aderant omnes abbates monasteriorum, quae ad Congregationem Beuronensem pertinebant, de re rettulit et hanc quaestionem disputandam proposuit. Videntur vero abbates Beuronenses, quamvis eis ipsis scopus missionarius Ottiliensis satis alienus esset, ad succursum quadamtenus parati fuisse. Tamen putaverunt omnino utile atque necessarium esse, ut antea visitatio canonica ab abbate quodam perito exhibenda fieret. Effectus autem harum consultationum Beuronensium apparet in epistulā responsoriā, quam cardinalis Ledochowski de re certior factus die 17^o m. Mart. a. 1896^o ad Hildebrandum de Hemptinne misit scribens haec:²¹ *«Laetus ex tuis litteris die 25 elapsi Februarii accepi Abbates istius Congregationis de Beuron libenter, si nihil obstiterit, operam duros, ut votis huius s. Congregationis de Propaganda Fide fiat satis, circa reformationem Instituti S. Ottilien. Propositio mittendi in Bavariam expertum monachum qui ante omnia visitationem accuratam de rebus et personis domus S. Ottilien instituat, ac dein referat vestrae Congregationi, prudens videtur consilium: iamque ad Apostolicum Nuntium scripsi ut si aliquae obiciantur difficultates ex parte Gubernii Bavarici eas amovere procuret.»*

Ut ex ultima sententia huius epistulae percipitur, omnibus in actionibus régime Bavarium quoque respiciendum erat. Nam Congregatio Beuronensis, quae non in Bavaria sita erat, ab Bavaricā administratione publicā

¹⁹ Videtur haec rogatio iam prolata esse, antequam epistula episcopi Augustani allata est. Nam Beuronense capitulum generale ab die 15^o m. Febr. usque ad diem 21^{um} m. Febr. a. 1896^o instituebatur. - Cfr Paulus WEISSENBERGER: Das Benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert. Beuron / Hohenzollern 1953, p. 54 nr 313.

²⁰ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 241; Bernita WALTER (1985), p. 160; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 802; Frumentius RENNER: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filiationen. Zum hundertjährigen Bestehen St. Ottiliens. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 32.

²¹ Epistula die 17^o m. Mart. a. 1896^o ab cardinali Ledochowski ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.2.1.1). [Copia, cuius originale in archivo Sancti Anselmi asservatur.] - Textus originaliter Latinus. De re cfr Leander BOPP (1954), p. 262; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 243, qui non satis exacte condicionem ita refert, tamquam cardinalis Ledochowski primus visitationem canonicam proposuisset atque postulavisset.

numerabatur ut «extranea» et illo tempore régime Bavaricum erga «extraneos», qui intra Bavariam aliquid effecturi erant, supersensibilis erat. Eā de causā cardinalis Ledochowski curavit, ut Apostolicus Nuntius Monacensis Andreas Aiuti mensibus Februario atque Martio cum regimine Bavarico consultationes iniret, quibus eiusdem licentiam acquireret, quā quidam Beuronenses in consociatione Ottiliensi operarentur. Andreas Aiuti hac in re efficaciter laboraverat atque permissionem impetravit.

Itaque proximus gressus fieri potuit, quo cardinalis Ledochowski Beuronensem archiabbatem Placidum Wolter officialiter de auxilio Ottilianis ferendo rogare valuit.²² In eius epistula die 10^o m. Apr. a. 1896^o data leguntur haec:²³ *«Rms. Nuntius Apostolicus in Bavaria scripsit mense elapso ad hanc s. Congregationem de Propaganda Fide Gubernium Bavaricum in eo esse animo, ut citius civilem, ut ajunt, recognitionem sit praebiturum, jam noto Instituto St. Ottilien, simulque permissurum, ut aliquot religiosi viri istius Monasterii, cui praees, praedicti Instituti directionem ad tempus sumant, ut opus reformationis ibidem perficiatur. ... Te, Rme Pater, vehementer rogo, ut velis s. Congregationem coadjuvare in perutili hoc labore explendo ... ad tempus, donec nempe talia in domo S. Ottilien efformarentur elementa, quae ad religiosam vitam ibidem tutandam per se sufficerent. ... Rms Episcopus Augustanus rogat, ut sine mora queat inchoari.»*

Verbis autem cardinalis Ledochowski conspicitur, quid de totā re cogitaverit. Nam non solum reformationem consociationis Ottiliensis atque eiusdem firmam constitutionem religiosam voluit, sed etiam Ottilianos aliquando propriis pedibus stare posse desideravit. Generaliter vero auxilium ad hunc scopum impetrandum ei videbatur *«labor perutilis»*.

Epistula cardinalis ad archiabbatem directa - sicut mos erat - abbati primati tradita est, ut eandem ad Placidum Wolter transferret. Id quod idem commen-

²² Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 242; Bernita WALTER (1985), p. 160; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83.

²³ Textum originaliter Latinum ex epistulā cardinalis depromptum exhibet Ildefonsus Schober in epistulā circulari die 25^o m. Ian. a. 1900^o datā (ASO, A.3.3.2). - Cfr etiam Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 242.

tario proprio subiuncto die 17^o m. Maii a. 1896^o fecit.²⁴

²⁴ *Cfr* Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 242 sq.; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83.

Ea, quae nunc satis breviter relata sunt, per septimanas diuturnis consultationibus atque amplo commercio epistulari protracta sunt.²⁵ Tamen omnes, quibus haec res iniuncta erat, pro viribus suis operabantur, ut bonus effectus eveniret. De necessario autem modo procedendi primario omnes consenserunt in eo, ut primo visitatio canonica in coenobio Ottiliensi fieret, quā status verus - et spiritualis et oeconomicus - inspiceretur. In initio mensis Maii a. 1896¹ etiam aptus vir inventus erat, qui hac condicione difficili munere visitoris fungi potuit.²⁶ Agebatur de Ildefonso Schober, abbate Seccoviensi.²⁷ Facultates suas tali in re iam brevi ante demonstraverat, cum Benedictina monasteria in Portugaliā sita inspiceret. Ut celeriter apparuit, Ottilianis eorumque foundationi nihil melius accidere potuit, quam ut Ildefonsus Schober²⁸ visitationem canonicam susciperet.

²⁵ Ildefonsus Schober in epistolā suā circulari die 25^o m. Ian. a. 1900^o datā (ASO, A.3.3.2) scripsit fuisse «*complurium mensium consultationes Sanctae Congregationis de Propaganda Fide cum regimine Bavarico, cum episcopo Augustano, cum abbate primate, cum archiabbate Congregationis Beuronensis et inter duos ultimo loco commemoratos*». (Textus originaliter Theodiscus). Etiam ex hōc apparet viam non fuisse facilem.


²⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 244; Bernita WALTER (1985), p. 160; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83; Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 92; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 127.

²⁷ Seccovia: *Seckau*. - Oppidum monasteriumque in Austria situm.

²⁸ Ildefonsus Schober, cuius nomen baptismale erat Fridericus [*Friedrich*] natus est die 23^o m. Febr. a. 1849^o in Badeniā (in Germaniā sita). Examine maturitatis superato in studiorum universitate Friburgensi theologiae studuit. Iam anno 1871^o monasterium Beuronense ingressus est et post novitiatum (quo tempore unā cum Andreā Amrhein erat) Kalendis Aprilibus a. 1872^o professionem fecit et die 28^o m. Maii a. 1874^o sacerdotio auctus est. Cum conventus Beuronensis propter conflictationem culturalem in Germania vigentem exilium petere coactus esset, Ildefonsus Schober cum parte quādam monachorum in Tiroliam transmigravit atque ab abbate Mauro Wolter huius communitatis procurator institutus est. Cum Beuronenses Pragae monasterium condere potuissent, Ildefonsus Schober ibidem primo procurator atque cellerarius erat, deinde prior factus est. Anno 1883^o unā cum P.re Gisleno Béthune Seccoviam missus est, ut ibi aliud monasterium condendum praepararent. Anno 1887^o monasterium Seccoviense abbatia reddita est et Beuronensis abbas Maurus Wolter Ildefonsum Schober primum abbatem Seccoviensem instituit. Dictum abbatiale sibi elegit sententiam ex hymno Mariano depromptam, quae est «*Funda nos in pace*». Die autem 7^o m. Sept. a. 1895^o Ildefonso Schober munus visitoris in Benedictinis monasteriis Portugaliae traditum est, pro quibus monasteriis Congregatio Beuronensis inde ex anno 1894^o responsalis erat. Mansit autem in Portugalia usque ad diem 15^{um} m. Febr. a. 1896^o atque munere suo optime functus est. Deinde problematis quoque Ottilianis solutis Ildefonsus Schober

3.2. DE VISITATIONE CANONICA

3.2.1. De inspectione deque eius effectu



inde ab anno 1903 iterum prorsus in officia abbatiae suae Seccoviensis incumbere potuit. Sed post mortem Beuronensis archiabbatis Placidi Wolter die 13^o m. Sept. a. 1908^o factam, Ildefonsus Schober die 19^o m. Sept. a. 1908^o tertius archiabbas Beuronensis institutus est. Sed postquam eius valetudo vehementer affecta erat et ipse a pluribus collapsibus atque apoplexiâ correptus est, die 8^o m. Nov. a. 1917^o a munere archiabbatis abdicavit. Die 28^o m. Febr. a. 1918^o Ildefonsus Schober vitâ functus est.

Ildefonsus Schober, abbas Seccoviensis.

- De vitâ Ildefonsi Schober *cfr* ex. gr. Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 77 sqq.; Hartmut MADL (1999), p. 64 adn. 153; Godfrey SIEBER (1992), pp. 126 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 160; Cyrillus WEHRMEISTER: Erzabt Ildefons Schober. *In*: Missionsblätter 22, 1917/1918, p. 145; Benno ROTH: Seckau. Der Dom im Gebirge. Seckau 1983, pp. 58 sqq.; Virgil FIALA: Ein Jahrhundert Beuroner Geschichte. *In*: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei Sankt Martin, Beuron. Beuron 1963, pp. 165 sqq.

Antequam Ildefonsus Schober ipsam visitationem canonicam incohare potuit, quaedam res in antecessum erant tractandae. Primo Beuronensis archiabbas Placidus Wolter cum Augustano vicario generali D.re Francisco Antonio Henle colloquia instituit, quibus generaliter de condicionibus Ottiliensibus, quantum in ordinariatū notae erant, certior fieri voluit. His ex colloquiis ĩdem explicationes atque instructiones quasdam Ildefonso Schober transmittendas curavit.²⁹ Inde apparet etiam in ordinariatū de quibusdam quaestionibus ad coenobium Ottiliense spectantibus conspectum omnino clarum non viguisse. Praeterea videtur illo tempore ipse vicarius generalis talem condicionem futuram praetulisse, quā institutum Ottiliense non monastice constitueretur, sed potius in manibus episcopi maneret.

Tamen Ildefonsus Schober, cui mens ordinata erat, ad munus suum, de quo scivit ĩdem non facile fore, ipse diligentissime se praeparavit.³⁰ Non solum quaestiones atque problemata generaliter solvenda in antecessum notavit atque ea, quae imprimis agenda erant, conscripsit, sed etiam colloquia praevia cum vicario generali instituit.³¹

²⁹ Textum epistulae, quam iussū archiabbatis eius secretarius ad Ildefonsum Schober direxit, exhibet Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 244 sq.

³⁰ De hac re fuse Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 247 sqq.; sed etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83.

³¹ Videtur ĩdem talia colloquia etiam cum episcopo Augustano atque cum Nuntio Apostolico habere voluisse, sed cum illo tempore essent in itinere, utrumque contingere non valuit.

Denique Ildefonsus Schober unā cum adiutore P.re Ludgero Leonard,³² qui ei appositus erat,³³ ad coenobium Ottilien-se profectus est, ubi die 26^o m. Iu. a. 1896^o advēnit.³⁴ Haec erat prima occasio, quā ibīdem versabatur. Sed iam primae res, quas Ildefonsus Schober vidit atque expertus est, ei placuisse videntur. Nam Ottilianos, et fratres et patres, non solum impigerrime laborare, sed etiam sine exceptione omnes ad horas precum adfuisse animadvertit. Quamvis omnes sodales virtutes solidas atque bonos impetūs optimamque voluntatem habere existimaret, nihilominus iam his primis diebus vidit illam foundationem missionariam adhuc fuisse rem nondum satis consolidatam atque imperfectam.

Paucis autem diebus post primum adventum suum Ildefonsus Schober Augustam Vindelicum denuo se contulit, ut ibīdem ab episcopo «instrumentum visitationis», id est officiale testimonium auctoritatis acciperet.³⁵ Hōc testimonium ab ipso desideratum³⁶ die 2^o m. Iul. a. 1896^o ei traditum est.³⁷

³² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 252; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 161; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83; Hartmut MADL (1999), p. 64; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 802; Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 30 (ASO, A.1.8.1). - Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 55 nr 318 scribit tempore visitationis P.rem Berhardum Kober, priorem Beuronensem, Ildefonsum Schober comitatum esse.

³³ Abbate Benedicto Sauter proponente archiabbas Beuronensis P.rem Ludgerum Leonard comitem adiutoremque instituerat. Tamen videtur Ildefonsus Schober - ut ipse confessus erat - de hōc comite non nimis felix fuisse. Sed quibus ex causis non apparet. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 252; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83. - Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 30 (ASO, A.1.8.1) scripsit se propter indolem atque dispositionem P.ris Ludgeri Leonard satis celeriter ei diffisum esse, quae diffidentia numquam iterum ablata esset. Fortasse ex iisdem causis Ildefonsus Schober alium adiutorem praetulisset.

³⁴ Diem 26^{um} m. Iun. a. 1896^o indicant Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 252; Bernita WALTER (1985), p. 161; Hartmut MADL (1999), p. 64; Godfrey SIEBER (1992), p. 127. Indicium diei 27ⁱ m. Iun. a. 1896^o exhibent Leander BOPP (1954), p. 262; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47. - Suspiciandum autem est hanc differentiam ex eo exoriri, quod Ildefonsus Schober dicitur vespere diei 26ⁱ m. Iunii advenisse, et demum die 27^o m. Iunii primo res condicionesque aspicere valuit.

³⁵ Tale testimonium officiale episcopi Ildefonsus Schober iam in consultationibus suis cum vicario generali postulaverat. Idem tamen putavit aliquod scriptum huiusmodi non esse necessarium. Sed Ildefonsus Schober insistebat et ne paratus quidem erat sine tali testimonio episcopali visitationem incohare. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 250; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83.

³⁶ Textum originaliter Theodiscum exhibet magna ex parte Johanna BUSCHMANN (2003), p. 100 adn. 9; partem quandam etiam divulgat Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979),

p. 257. - Ibīdem praeter alia legitur episcopum visitatori eiusque adiutori ad tempus visitationis ad varia officia explenda approbationem episcopalem praebere atque iurisdictionem tradere. Praeterea explicabatur visitationem etiam eā de causā institui, ut Sanctae Sedi de statu reali et de condicionibus Ottiliensibus nuntii certi referri possent.

³⁷ *Cfr* Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 256; Bernita WALTER (1985), p. 161; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 83; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 297, qui hōc in conexū scribit Ildefonsum Schober die 2^o m. Iul. a. 1896^o ad coenobium Ottiliense pervenisse, ut visitationem institueret. Hoc indicio īdem priores dies commorationis non respicit, fortasse quia minus officiales fuerant.

Eodem die Ildefonsus Schober ad Ottilianos revertit et deinde eius commoratio magis officialis incohata est. Tamen ante ipsam inspectionem rerum abbas Ildefonsus fratribus patribusque exercitia spiritualia praebuit, quae inde a vespere diei 3ⁱ m. Iul. a. 1896^o usque ad matutinum tempus diei 9ⁱ m. Iul. a. 1896^o durabant.³⁸ Haec exercitia Ildefonsus Schober deliberate in initio exhibuit, ut toto in conventū fundamentum spirituale poneret.

³⁸ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 258; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 161; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 802; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 84. - Eodem tempore P. Ludger Leonard exercitia apud sorores instituit.

Ipsa autem visitatio apud fratres die 11^o m. Iul. a. 1896^o incohata est et usque ad diem 18^o m. Iul. a. 1896^o durabat.³⁹ Deinde inter dies 18^{um} m. Iul. a. 1896^o et diem 22^{um} m. Iul. a. 1896^o visitatio in monasterio sororum facta est et denique die 29^o m. Iul. a. 1896^o in Tutzingensi domo secundariā sororum. Ad officium suum explendum Ildefonsus Schober conspectum totius instituti sibi acquisivit, id est non solum in homines consociationi adiunctos⁴⁰ inquisivit, sed etiam in condiciones cottidianas atque spirituales et in quaestiones oeconomicas. Ceterum visitator unumquemque expressis verbis interrogaverat, num consociatio Ottiliensis modo Benedictino constituenda esset. Ad quam quaestionem omnes positive responderant.⁴¹ Quamvis in opere visitationis atque in quibusdam reformationibus, quas iam instigaverat, fratrum sororumque bonum obsequium libenter exhibitum invenisset, tamen celeriter problemata quaedam generalia agnovit. Nam existimavit unā ex parte quaestionem superioris esse solvendam atque problemata, quae cum votis atque cum statu monastico cohaerebant, esse ordinanda, alterā ex parte necessarium ei videbatur, ut congregatio virorum ab congregatione mulierum separaretur.⁴²

³⁹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 262; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 258; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 164; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 802; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 84.

⁴⁰ Tempore visitationis ad coenobium virorum pertinebant quattuordecim patres atque clerici, octo novitii, quinquaginta duo fratres laici, qui vota iam protulerant, quattuordecim novitii fratrum laicorum, undecim postulantes. - Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 253 hos numeros exhibet, qui apparent in notitiis quibusdam Ildefonsi Schober. Tamen hōc in conexū difficultas quaedam exoritur. Nam in textū Ildefonsi Schober, quem Frumentius Renner affert, legitur fuisse sodales «in summa 77». Sed haec computatio non quadrat. Nam cum numeri patrum clericorumque et novitiorum et fratrum laicorum adduntur, sunt in summā septuaginta quattuor, unā cum novitiis fratrum laicorum sunt in summā duodenonaginta, et cum novitii omnino non adnumerantur, sunt sexaginta sex. Sive Frumentius Renner in textū describendo erravit sive Ildefonsus Schober in computando erravit. Tamen hunc errorem Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 802 tradidit, cum scriberet illo tempore in domo Ottiliensi fuisse septuaginta septem religiosos, id est quattuordecim patres clericosque et quinquaginta tres fratres laicos (qui numeri computati nihilominus sexaginta septem faciunt). - Godfrey SIEBER (1992), p. 128 eosdem numeros indicat ac Ildefonsus Schober in notitiis suis, sed a summā indicandā abstinuit. - De numero sororum, quae illo tempore aderant, videtur nulla difficultas exstare: erant quadraginta una sorores professae, octo novitiae, octo postulantes.

⁴¹ Hoc factum esse etiam Bernvardus Baule in commentatione suā mense Octobri a. 1896ⁱ ad cardinalem Ledochowski directā, p. 7 (ASO, A.2.1.1) specialiter commemorat.

⁴² Quod attinet ad hanc quaestionem, episcopus Augustanus Petrus von Hötzl iam in epistulā die 18^o m. Febr. a. 1896^o ad Monacensem Nuntium Apostolicum datā (ASO,

Magni autem momenti totā in visitatione canonicā erat, quod Ildefonsus Schober, quamvis ei sicut plerisque Beuronensibus quaestio missionaria esset aliquatenus aliena, non solum sine praeiudiciis officium suum adiit, quin etiam benevolenter intellegere conabatur, qualis proprietas specialis illi foundationi esset et quae condiciones speciales inde emanarent.

Visitatione canonicā in omnibus partibus consociationis finitā Ildefonsus Schober die 8^o m. Iul. a. 1896^o ⁴³ relationem, quā effectūs huius inspectionis continebantur, ad episcopum Augustanum misit.⁴⁴ Iudicium autem eius de consociatione erat omnino positiva. Scripsit enim praeter alia foundationem Ottiliensem manifeste benedictione supernā frui. Porro exposuit temporis spatio relative brevi duodecim annorum multa atque magna iam effecta esse et in patriā domo et in missionibus. Tamen quaedam imperfecta, quae animadverterentur, conformationem atque perfectionem exspectare.

A.2.1.6) deliberationes protulit, quae - ut Cyrill SCHÄFER (2005), p. 46 adn. 70 recte iudicat - pro tempore futuro bonam directionem monstraverunt. Nam proposuit, ut sorores ad alium locum magis distantem transferrentur, et hac in re cogitavit de domo Tutzingensi, ubi sorores iam sedem secundariam haberent et ubi areā aliquatenus amplificatā aedificium eis aptum exstrui posset.

⁴³ Relationes, quas ad singulas partes consociationis spectabant, iam immediate post finem inspectionis illis, ad quos pertinebant, praelegerat.

⁴⁴ De re *cfr* Leander BOPP (1954), p. 263; Suso BRECHTER (1963), p. 265; Bernita WALTER (1985), p. 164; Frumentius RENNERT: Kongregation (1984), p. 32; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 802; Godfrey SIEBER (1992), p. 129. - Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 298 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 261; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 84 etiam partes ex relatione Ildefonsi Schober depromptas exhibent.

Relationi autem suae ad episcopum missae Ildefonsus Schober epistolam additiciam subiunxit, quā problemata quaedam tetigit, quae in ipsā relatione non apparent, et quā explicuit, quid satis celeriter suscipiendum esset.⁴⁵ Nam unā ex parte dixit foundationem Ottiliensem esse opus magnum, sed difficultates exoriri ex eius naturā atque proprietate, cum esset neque monasterium sensū stricto neque esset tantummodo domus missionaria. Condiciones dubias in eruditione non satis solidā et ad monachum et ad missionarium spectante esse manifestas. Detrimenta iam in ipsā regione missionariā apparere, ubi quidam patres nimis mature missi iam dubitarent, num in Africā methodo Benedictinā missio Christiana fieri posset. Itaque omnino necessarium esse, ut quam celerrime constitutiones exararentur, quibus sine ullo dubio statueretur foundationem Ottiliensem esse monasterium Benedictinum, sed quibus etiam additamentis accuratis cogitationi missionariae atque officio missionario locum suum tribueretur. Cum haec coniunctio prospere eveniret, tunc «*Benedictinum verum perfectumque etiam fore missionarium verum perfectum sanctumque*».⁴⁶

Illa vero epistula additicia cum commentario speciali causam suam habuit in eventibus, quae immediate post visitationem finitam acciderant.

3.2.2. De quaestione missionaria

3.2.2.1. De «*Propositionibus Lacensibus*»

⁴⁵ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 262; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 298 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 164.

⁴⁶ Textus originaliter Theodiscus. - In textū, quem Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 299 exhibet, legitur in fine: «*etiam monachum verum, perfectum sanctumque erit*». Sed Bernita WALTER (1985), p. 164 verisimiliter recte monet ibidem non «monachum», sed «missionarium» legendum esse, et suspicatur hunc errorem in textū describendo irrepsisse.

Visitatio canonica modo officialiter finita erat, cum die 2^o m. Aug. a. 1896^o Apostolicus Praefectus P. Maurus Hartmann ex Africanā regione missionariā aliquatenus ex improvise adveniret.⁴⁷ Idem autem ab patribus missionariis missus eorum difficultates (quae partim etiam suae erant) pronuntiaturus erat. Nam missionarii ex experiētiā suā dubitationes fundamentales habebant, num vita Benedictina et missio Christiana coniungi possent, quā de causā id perpetrandum esset, ut in fundatione Ottiliensi regula Sancti Benedicti aboleretur, cum insimul et Benedictinum et missionarium esse non esse possibile.⁴⁸ Tamen haec problemata non erant nova et inde exorta sunt, quod P. Andreas Amrhein in methodum suam missionariam insistebat, quā in regionibus missionariis statim vera monasteria, in quibus singulis minimum septem religiosi conviverent, promovenda essent. Hōc tamen hunc in modum illo tempore imprimis in regionibus Africanis fieri non ita posse experiētiā monstratum est. Difficultates generales P. Maurus Hartmann iam in primo «conventū generali» anni 1895ⁱ exhibuerat et quasdam concessionem iam adeptus erat.⁴⁹

Quod illo temporis momento missionarii in cursum rerum se immiscuerant, erat utile,⁵⁰ cum missio Christiana esset condicio constitutiva fundationis Ottiliensis. Itaque Ildefonsus Schober, quamvis visitatio canonica iam esset transacta, in illa problemata prolata incumbere et eadem solvere conari debuit. Eā de causā Ildefonsus Schober et Maurus Hartmann consultationes instituerunt, quibus communiter de viā ingrediendā et de modo, quo indigentiae utriusque partis respici possent, deliberaverunt. Ildefonsus Schober illo tempore Mauro Hartmann de utilitate constitutionis monasticae persuadere potuisse videtur.⁵¹ Sic modum practicum opinionum coniungendarum invenire

⁴⁷ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 263; Bernita WALTER (1985), p. 169; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 803; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53; Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St. Ottilien 1956, p. 109 (typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum).

⁴⁸ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 263; Bernita WALTER (1985), p. 169; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 803; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 86.

⁴⁹ Vide supra cap. 2.3.5.5.

⁵⁰ Sic etiam iudicant ex. gr. Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 265; Bernita WALTER (1985), p. 169; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 803; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53 adn. 86.

⁵¹ *Cfr* epistula circularis Ildefonsi Schober die 25^o m. Ian. a. 1900^o data (ASO, A.3.3.2), quā ad conexūs priores respiciens scripsit fundamento Benedictino amoto neque ipsum neque abbatem primatem diutius ullam coniunctionem cum re Ottiliensi habere voluisse.

valuerunt. Tamen soli de hac re decernere noluerunt, quā de causā archi-
abbatem Beuronensem Placidum Wolter ad consultationes suas assumere eis
opportunum videbatur. Itaque ad monasterium Mariae Lacensis⁵² vecti sunt,
ubi inter dies 18^{um} m. Aug. a. 1896^o et 23^{um} m. Aug. a. 1896^o conventus
abbatum Beuronensium locum habuit.⁵³

⁵² *Maria Laach.*

⁵³ *Cfr* Paulus WEISSENBURGER (1953), p. 55 nr 320.

Ibīdem tunc textus quidam definitive compositus est, cui etiam abbas primas atque reliqui abbates Beuronenses omnino assensi sunt. Quem textum deinde die 20^o m. Aug. a. 1896^o Ildefonsus Schober, abbas Seccoviensis, et P. Maurus Hartmann OSB, Apostolicus Praefectus Zanguebariae Meridionalis, subscripserunt.⁵⁴

Qui textus, qui propter locum, in quo subscriptus est, appellatur «Propositiones Lacenses». Leguntur autem ibīdem haec:⁵⁵

«Nonnulla proposita, quibus Congregatio OSB pro missionibus exteris in fundamentum firmum ponatur.

§ 1. Haec Congregatio - Congregatio Sacratissimi Cordis OSB pro missionibus exteris⁵⁶ - sit, ut erat fundatoris consilium et ut est expressa voluntas sodalium praesentium, monastica et secundum regulam spiritumque sancti Patris Benedicti atque secundum Constitutiones approbandas vivat et excolatur. Ea de causa eiusdem sodales post probationis tempus canonicum proferent vota simplicia atque sollemnia et Congregatio in Confoederationem Benedictinorum atrorum recipietur et sub iurisdictione abbatis primatis erit.

§ 2. Congregatio, ut eius nomine adumbratur, opera sua illuc diriget, ut populos usque nunc paganos Christianitati requirat.

§ 3. Itaque éadem monasteria et in terris civilizatis et in regionibus missionariis erigat, priora tam numerosa quam necessaria sunt, ut monachi educantur et subsidia necessaria acquirantur, ut posteriora condantur, hominibus impleantur atque sustententur.

§ 4. Illa monasteria erunt aut abbatiae aut prioratus sui iuris aut prioratus

⁵⁴ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 25^o m. Ian. a. 1900^o data (ASO, A.3.3.2); Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 265; Bernita WALTER (1985), p. 169; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 299 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53; Leander BOPP (1956), p. 109; Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 92.

⁵⁵ Textus originaliter Theodiscus. - Integrum textum praebent Paulus WEISSENBERGER (1967), pp. 92 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 336.

⁵⁶ Hōc locō primā vice officialiter apparet consociationis nomen coniunctum cum Sacratissimo Corde Iesu. - De hac re cfr infra.

simplices. Etiam permittitur ibi, ubi tales foundationes amplae ex respectu hygienico vel ex aliis condicionibus fieri non possunt (ex. gr. in terris non civilizatis), cellas erigi, quae minimum ab tribus sodalibus Congregationis inhabitantur.

§5. Consociatio sororum sub eadem regula vivet, similes foundationes faciet atque patribus in missionibus adstabit. Quatenus institutio ipsius clausurae apta sit necne, tempus atque experientia docebunt.

§ 6. Relatio, quam superiores monasteriorum singulorum (abbatiarum, prioratum) cum praeposito totius Congregationis habent, partim Canonibus dirigitur et exactius Constitutionibus definietur.

§7. Si in regione quadam non esset monasterium canonice erectum et missio ab Praefecto Apostolico, qui ad Congregationem pertinet, duceretur, missionarii illius regionis missionariae Praefecto omnibus in rebus subditi essent, sive in cellis sive in prioratibus simplicibus habitarent. Ipse Praefectus superiori directioni praepositi Congregationis se non subtrahet et in cellis, si res fert monasteriis erigendis eius permissionem interim rogabit. Ceterum accuratioribus statutis dirigitur, quod et quomodo Praefecto libertas necessaria relinquatur, qua salutem atque progressus missionis bene fundet.

§8. Cum autem sodales quidam propter morbum vel senectutem non ultra in missione manere valent, praepositus Congregationis caritate paterna eos iterum in monasteria Europaea recipiat et pro eis necessariam quietem atque recreationem curā benignā confratrum disponat.

§9. Iurisdictio Congregationis de Propaganda Fide respective episcoporum scilicet plenissime secundum normam statutorum ecclesiasticorum respicienda est.»

Hōc documentum quidem non erat nimis longum, sed eodem opus reformatorium, quod visitatione canonicā iam inchoatum erat, etiam magis ad tempus futurum spectabat atque missioni ampliores possibilitates praebuit.⁵⁷ Fundamentum autem Benedictinum omnino servabatur, quo valente tamen condiciones missionariae respiciebantur. Magni vero momenti hōc in conexū erat unā ex parte, quod missio Christiana ut elementum constitutivum consociationis expressis verbis agnoscitur, alterā ex parte quod missionariis etiam

⁵⁷ De «Propositionibus Lacensibus» earumque argumentis *cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 265 sqq.; Frumentius RENNERT: Kongregation (1984), p. 32; Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 86 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), pp. 803 sq.; Leander BOPP (1956), p. 109; Godfrey SIEBER (1992), p. 129, pp. 186 sq.

cellas condicionibus quibusdam vigentibus condere licuit, porro quod status atque auctoritas Praefecti Apostolici stabiliebatur. Denique alicuius momenti est, quod documenti sententiis initialibus futura monastica constitutio Benedictina consociationis Ottiliensis iam praesumebatur. In summa «Propositiones Lacenses» aestimantur fuisse quidem tantummodo documentum provisorium, sed pro consociatione Ottiliensi fuisse magni ponderis.⁵⁸

Documentum autem «Propositionum Lacensium» ab archiabbate Placido Wolter die 24^o m. Aug. a. 1896^o ad Congregationem de Propagandā Fide missum est. Cardinalis Ledochowski rem celeriter tractavit atque die 16^o m. Sept. a. 1896^o documentum approbavit⁵⁹ ad archiabbatem Beuronensem scribens haec:⁶⁰ *«Litteris datis die 24. superioris mensis Augusti transmittibas huic S. Congregationi quasdam propositiones seu regulas, quae iuxta collata consilia Praefecti Apostolici de Zanzibar et Visitatoris Monasterii Benedictini S. Ottiliae in Bavaria proponuntur pro constabilienda in dicta Congregatione*

⁵⁸ Cfr ex. gr. Bernita WALTER (1985), p. 169; Godfrey SIEBER (1992), p. 187; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 86. Frumentius RENNER (Leuchter I (1979), p. 273 et Benediktinerkongregation (1999), p. 803) «Propositiones Lacenses» Magnam Chartam Ottiliensem appellat. Videtur autem Leander BOPP (1956), p. 109 de totā re aliam sententiam habere, cum satis ieiune scribit de illis conventionibus deinceps non iam quicquam auditum esse.

⁵⁹ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 267; Bernita WALTER (1985), p. 169; Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 92; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 86; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 300; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 803; Leander BOPP (1956), p. 109; Hartmut MADL (1999), p. 65, qui per errorem diem 26^{um} m. Sept. a. 1896^o indicat.

⁶⁰ Cardinalis Ledochowski epistula die 16^o m. Sept. a. 1896^o ad archiabbatem Placidum Wolter data (ASO, A.2.1.1). (Copia epistulae in ordinariatu Augustano asservatae). - Textus originaliter Latinus.

Benedictina S. Ottiliae accurata disciplina monastica compatibili cum laboribus apostolicis. Iam vero dum gratias Tibi meritas habeo pro susceptis hac in re curis, simul certiolem Te facio hanc S. Congregationem praedictas regulas seu propositiones sua adprobatione munire, multaque exinde bona promanatura confidere pro enascentis illius Instituti bono et pro Missionum utilitate.»

Visitatione ergo canonicā et difficultatibus missionariorum «Propositionibus Lacensibus» quadamtenus sublatis⁶¹ iam magnus gressus factus erat ad condiciones Ottilienses revera stabiliendas.

3.2.2.2. De querelis ex Africa missis

Quaestio missionaria documento Lacensi aliquatenus et ad tempus modo soluta erat, cum denuo perturbatio quaedam hac in re exoriri videretur. Quae tamen «procella» non nimis diu durabat. Nam paulo post reditum P. ris Mauri Hartmann in missionariam regionem tres missionarii, id est P. Basilius Ferstl, P. Severinus Hofbauer, P. Alfonsus Adams, qui effectū consultationum conventionisque decepti fuisse videntur, epistulam excitatam ad Congregationem de Propagandā Fide miserunt.⁶² Sed illa epistula linguā Theodiscā erat scripta, quā de causā Congregatio de Propagandā Fide hoc scriptum ad Monacensem Nuntium Apostolicum misit, ut idem epistulam Africanam Ottiliensi superiori P. ri Bernvardo Baule traderet eum rogans, ut non solum versionem Latinam huius epistulae faceret, sed etiam commentationem de rebus ibidem prolatis exararet.⁶³

⁶¹ Tamen disputatio de quaestione, quomodo Benedictina vita monastica atque munus missionarium coniungi possent, etiam in posterum continuebatur. Sic ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER in recordationibus suis (Erinnerungen (s.a.), p. 38 (ASO, A.1.8.1)) commemorat hunc antagonismum inter vitam monasticam atque indigentias missionarias per totum tempus, de quo ipse recordatur, viguisse, interdum aperte, interdum modo contacto. Haec sententia certe etiam temporibus insequentibus valebat. - Leander BOPP (1956), pp. 111 sqq. refert opiniones (interdum etiam mutatas), quas nonnulli patres (etiam Bernvardus Baule et Maurus Hartmann) de hac quaestione habebant.

⁶² Cfr Leander BOPP (1956), pp. 109 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 272 sqq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53.

⁶³ Epistula die 7^o m. Oct. a. 1896^o ab Andrea Aiuti ad P. rem Bernvardum Baule data (ASO, A.2.1.4), cuius textus originaliter Latinus est hic: «Ad S. Congregationem de Propaganda Fide hejc adnexa documenta pervenerant, quibus in Praefectura Apostolica Zanguebarensi mala adesse perhibentur. Quare Paternitas Tua Revma eadem sedulo considerare velit deque iisdem accuratas notitias lingua latina exaratas S. Congregationi dare, cui insuper praedicta documenta remittenda sunt.»

Aliquatenus hilaris - saltem nobis hodiernis - est sententia subiuncta, quae est haec:

«Curet autem Paternitas Tua, ut Missionarii, quum ad S. Congregationem scribant, lingua latina vel italica vel gallica semper utantur.»

Ceterum Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 273 verisimiliter recte suspicatur hunc tractatum ex Africa missum non ita propter linguam difficulter intellegibilem, sed propter argumenta difficilia ad P.rem Bernvardum Baule translatum esse.

Huic mandato P. Bernwardus Baule celeriter atque diligenter obsecutus est. Ipsa epistula missionariorum non iam exstat, sed ex commentario Bernvardi Baule, qui in initio exarationis suae opprobria exhibita comprehendit, scimus, quales querelas iidem protulerint. Scripsit enim P. Bernwardus Baule haec:⁶⁴

«Tres religiosi, quos commemoravi, ab Em. Tua petunt I. ut congregationem nostram Benedictinam aliter instituendam cures. II. ut visitatorem aliquem rerum missionariorum peritum in Praefecturam nost. Zanguebarensis meridionalem mittas, qui cum de statu missionis sciscitetur tum de ipso Praefecto Apost. istius Praefecturae P. Mauro Hartmann O.S.B. quem ut loco amoveas, etsi non expressis verbis postulant, tamen vehementissime cupiunt.»

Sequuntur deinde argumenta illorum trium patrum, quae iidem ad illa duo puncta principalia attulerant. Putaverunt enim principium, quo consociatio Ottiliensis fundata est, nempe sodales et monachos Benedictinos et missionarios esse, *«falso statutum esse»*. Nam in locis missionariis, id quod ex experientia didicissent, *«institutioni monasticae Benedictinae satis fieri non posse»*. Conclusio eorum est *«missionarium itaque, qui idem monachus Benedictinus esse vellet, neutrum esse - neque Benedictinum neque missionarium. At si in missione non liceret Benedictinum esse, nec in domo matrice expedire regulam Benedictinam sequi.»*

Quod ad visitationem missionis et ad P.rem Maurum Hartmann attinet, querebantur eum promissis, quibus inter ipsos convenisset, ut in patriam id perpetraret, ut *«congregationem aliter institui concederent»*, omnino non stetisse, sed id factum esse, ut *«ex causis personam ipsius respicientibus sodalibus illis assensus esset, qui regulam Ben(edictinam) retinere vellent»*. Sequuntur deinde tria alia opprobria contra P.rem Maurum Hartmann, quae partim ad eius gesta in domo matrice, partim ad administrationem regionis missionariae spectabant.

⁶⁴ Commentatio Bernvardi Baule mense Octobri a. 1896ⁱ ad cardinalem Ledochowski missa, p. 1 (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

His omnibus querelis expositis P. Bernwardus Baule commentarium proprium subiunxit explicans, «*quid de istis rebus ego ipse et religiosi mei sentiamus*». Primo refutare conabatur querelam, quā missionarius non posset esse Benedictinus. Fused autem plura argumenta et ex historia et ex tempore recentissimo deprompta affert concludens cum alia tum haec:⁶⁵ «*Esto difficillimum esse in Praefectura Zang(uebarensi) merid(ionali) nunc monasteria condere, nemo mihi persuadebit id impossibile esse. Cellulas ergo aedificanto, in quibus duo aut tres patres et totidem fratres laici habitent. Locum idoneum quaerunto, ubi monasterium centrale condi possit. Et antiqui non statim monasteria habuerunt, sed multis annis elapsis.*» Quod attinet ad opinionem Praefecti Apostolici hac in quaestione, P. Bernwardus Baule adnotat haec:⁶⁶ «*Etiam P. Maurus H. Praef. Ap. qui aliquamdiu cum istis religiosis consentiebat, mox luce clarius intellexit regulam Ss. Benedicti non impedire se provehere missionem et reversus est in praefecturam praedicator illius nostri axiomatis: Primo Benedictinus deinde missionarius - et quo melior Benedictinus eo melior et fructuosior missionarius. - Praeterea liceat mihi afferre non pro Praefectura Zang(uebaria) Merid(ionalis) sola conditam esse congregationem sed indefinite: pro missionibus exteris. Aliis in terris non tam morbis et febribus expositis quam praefectura nostra, facilius in missione totam regulam sequi licebit.*»

Deinde P. Bernwardus Baule se convertit ad opprobria specialiter contra P. rem Maurum Hartmann prolata. Generaliter vero scripsit haec:⁶⁷ «*Refutare autem quae Praefecto Ap. P. M. H. objiciuntur non est meum sed ipsius P. Mauri et non dubito, quin omnes objectiones ad nihilum redigere possit.*» Nihilominus quasdam adnotationes ad singula opprobria spectantes subiunxit.⁶⁸ Generaliter autem P. Bernwardus Baule suspicabatur illos tres patres missionarios ita agere, quia ea, quae revera efficere voluissent, in irritum cecidissent.⁶⁹

Cum Congregatio de Propagandā Fide relationem P. ris Bernvardi Baule vere

⁶⁵ Commentatio Bernvardi Baule, p. 5 (ASO, A.2.1.1).

⁶⁶ Commentatio Bernvardi Baule, p. 6 (ASO, A.2.1.1).

⁶⁷ Commentatio Bernvardi Baule, p. 7 (ASO, A.2.1.1).

⁶⁸ Imprimis etiam attulit dubitationes suas, cur nunc demum querelas de condicionibus proferant, quae iam pridem transactae essent neque talia prius dixissent, et insuper cur non ipsi in illis rebus, quas P. Maurus omisisset vel falso gessisset, contra mala vigentia aliquid fecissent, cum illo tempore, de quo agebatur, ipsi quoque responsables fuissent.

⁶⁹ Cfr Commentatio Bernvardi Baule, p. 8 (ASO, A.2.1.1). - Scripsit enim consilium eorum fuisse in eo, ut P. Maurus Hartmann in patria efficeret, ut P. Basilius Ferstl fieret superior generalis, qui deinde regulam Sancti Benedicti aboleret.

bonam existimaret atque eādem contenta esset, illa epistula irata ex Africā missa nullas sequelas posteriores habuit.⁷⁰ Cum insuper querelae propter eventūs interea factos iam aliquatenus obsoletae essent et cum omnes opera efficacia Ildefonsi Schober animadverterent, etiam animi patrum Africanorum decursū temporis iterum placati sunt.⁷¹

3.2.3. De petitione Ottilianorum deque eorum sorte futura

⁷⁰ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 111; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 275; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53.

⁷¹ Tantummodo P. Basilius Ferstl nonnullis mensibus post - nonnullis vicissitudinibus transactis - consociationem reliquit. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 273 sq. adn. 313; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 53.

In chronologia eventuum paulo redire debemus, ut ea, quae post visitationem canonicam facta sunt, melius intellegantur. Nam Ildefonsi Schober indoles et eius modus agendi procedendique erant tales, ut īdem ab Ottilianis non solum acceptus esset, quin etiam maxime aestimaretur atque diligeretur. Inde satis celeriter exortum est Ottilianorum desiderium, quo talis vir esset praepositus consociationis.⁷² Itaque P.re Dominico Enshoff ducente atque rem praeparante patres Ottilienses suā sponte primum gressum fecerunt et - id quod aliquatenus extraordinarium erat - iam duobus diebus ante finem visitationis, id est die 16^o m. Iul. a. 1896^o, petitionem ad episcopum Augustanum Petrum von Hötzl mittendam curaverunt.⁷³ Illā in petitione⁷⁴ patres Ottilienses primo causas attulerunt, quibus ad rogationem suam adducti sunt, nempe Ottilianos patre spirituali indigere, qui et aetate et experiētiā et eruditione scientificā asceticā-que maior ipsis esset; magistrum necessarium esse, qui spiritum Sancti Benedicti ipse cognovisset atque exercere didicisset; se ut consociationem missionariam duce indigere, qui et amplum conspectum et diligentiam in rebus singulis haberet; in constitutionibus conscribendis ducem necessarium esse, qui rei peritus esset; porro ut agnitionem et publicam et ecclesiasticam acquirerent, homine opus esse, qui cum summis magistratibus agere sciret; abbatem Ildefonsum Schober in visitatione suā condiciones sodalesque consociationis cognovisse; denique Ildefonsum Schober quam celerrime animos omnium sibi conciliavisse. Quibus ex causis omnes unanimiter ad persuasionem pervenerunt, quā episcopum rogant, ut ab abbatibus Beuronensibus, ab abbate primate, ab archiabbate Beuronensi peteret, ut iidem Ildefonsum Schober saltem ad tempus superiorem generalem redderent et ut alius pater Congregationis Beuronensis ei auxilio daretur, ita ut consociatio Ottiliensis internā externāque consolidatione atque efflorescentiā frueretur.⁷⁵ Subscripserunt autem omnes patres, qui illo tempore in domo matrice versa-

⁷² Cyrillus WEHRMEISTER: Erzabt Ildefons Schober. In: Missionsblätter 22, 1917/1918, p. 145 commemorat illo tempore fratrem quendam laicum ad ipsum dixisse: «Is superior noster esse deberet.»

⁷³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 263; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 258 sqq.; Suso BRECHTER (1963), p. 264; Bernita WALTER (1985), p. 163; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 298; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 86; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47; Hartmut MADL (1999), p. 64; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), pp. 802 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 126.

⁷⁴ Epistula ad episcopum Augustanum die 16^o m. Iul. a. 1896^o data (ASO, A.2.1.6) (Copia, cuius originale in ordinariātū Augustano asservatur.) - Textus originaliter Theodiscus.

⁷⁵ Expressis verbis in fine huius petitionis legitur Ottilienses nullo modo machinationibus quibusdam externis instigatos esse, ut hoc scriptum componerent.

bantur, id est P. Bernwardus Baule, P. Leo Lang, P. Dominicus Enshoff, P. Cassianus Spiß, P. Placidus Vogel, P. Coelestinus Maier, P. Ambrosius Mayer, P. Anselmus Walther.⁷⁶

Videtur autem Ildefonsus Schober hac petitione, quae ei innotuit,⁷⁷ quadam-tenus territus fuisse, cum ipsi etiam multae aliae obligationes essent. Alterā ex parte episcopo, cui hōc scriptum traditum est, haec cogitatio valde placuit, quia illo temporis momento optima solutio difficultatum videbatur. Libenter ergo Petrus von Hötzl petitionem patrum Ottiliensium unā cum huius rogationis commendatione propriā et unā cum Ildefonsi Schober relatione visitationis canonicae ad Congregationem de Propagandā Fide misit.⁷⁸

Ipsa Ildefonsus Schober visitatione in omnibus domibus Ottiliensibus finitā sub fine mensis Iulii a. 1896ⁱ de hac quaestione ad episcopum scripsit,⁷⁹ quā in epistolā explicuit se pro consociatione Ottiliensi libenter multa suscepturum esse, sed solum sub hac condicione, quā voluntatem Dei cognoscere posset atque abbatia Seccoviensis, quae quōque ipsi cordi esset, nullum detrimentum

⁷⁶ Ut Leander BOPP (1954), p. 263 et Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 259 referunt, videtur Dominicus Enshoff tradidisse Bernwardum Baule petitionem subscribere recusavisse, quā de causā solum reliqui subscripsissent. Tamen hōc in conexū aliquid non quadrat, quia nomen Bernwardi Baule in ipsā petitione primo loco invenitur.

⁷⁷ Dominicus Enshoff Ildefonso Schober petitionem aperte dedit rogans, ut eandem episcopo traderet. Id quod Ildefonsus Schober primo noluerat, deinde tamen promisit fecitque.

⁷⁸ Cfr Leander BOPP (1954), p. 263; Suso BRECHTER (1963), p. 265; Bernita WALTER (1985), p. 163; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 84.

⁷⁹ Epistula Ildefonsi Schober die 30^o m. Iul. a. 1896^o ad episcopum Augustanum data (ASO, A.2.1.6). (Copia, cuius originale in ordinariatū Augustano asservatur). - Textus originaliter Theodiscus.

caperet. Insuper de hac re consultationes cum archiabbate Beuronensi et cum abbate primate instituere voluit.



Soror Maria Droste zu Vischering.

Sed etiam aliunde Ildefonsus Schober hac in quaestione sibi non facili consilium petivit. Nam die 27^o m. Iul. a. 1896^o epistulariter se convertit ad Sororem Mariam Droste zu Vischering,⁸⁰ quam maxime aestimavit et cuius sententia ipsi erat maximi momenti, eam interrogans, num munus Ottiliensis superioris generalis susciperet. Ildefonsus Schober superiorissam monasterii Boni Pastoris in urbe Portu Calensi⁸¹

⁸⁰ Maria Droste zu Vischering die 8^o m. Sept. a. 1863^o in Vestfaliā (in Germaniā) nata erat ex familia nobili. Iam satis mature eadem vocationem vitae monasticae sensit percepitque. Demum anno 1888^o monasterium Sororum Boni Pastoris ingressa est. Mense Ianuario anni 1894ⁱ eadem ut assistrix ad Olisiponense monasterium huius ordinis vocabatur, sed iam mense Maio anni 1894ⁱ superiorissa monasterii in urbe Portu Calensi conditi instituebatur. Illo in loco plurimis cum difficultatibus, imprimis etiam oeconomicis, ei pugnandum erat. Etiamsi tempore vernali anni 1896ⁱ vehementer graviterque aegrotare coepit, tamen monasterium suum regere atque omnibus adesse perrexit. Soror Maria Droste zu Vischering non solum erat mulier practica, quae etiam condicionibus improspers multa efficere valuit, sed etiam erat mulier mystica, quae quoque de visionibus suis mysticis refert. Ipsa erat maxima veneratrix Sacratissimi Cordis Iesu. Eā de causā, cum talibus in visionibus saepius hoc votum percepisset, papam Leonem XIII instigavit, ut totum mundum Sacratissimo Cordi Iesu voveret. Revera Leo XIII re probatā hanc devotionem anno sacro 1900^o suscepit litteris encyclicis die 25^o m. Maii a. 1899^o datis (cfr ASS 31, 1898/99, pp. 646 sqq.). Maria Droste zu Vischering die 8^o m. Iun. a. 1899^o vitā functa est nondum triginta sex annos nata. Kalendis Novembribus a. 1975ⁱ eadem ab papa Paulo VI beatificata est. Cfr ex. gr. Max BIERBAUM: Maria vom Göttlichen Herzen Droste zu Vischering. Ein Lebensbild. Freiburg 1966; F. MÜHLEN / Peter STRUBE: Maria Droste zu Vischering. Eine Dokumentation. Rom / Münster 1975; PROVINZIALRAT der Schwestern zum Guten Hirten (ed.): Schwester Maria vom Göttlichen Herzen. Das Leben der Gräfin Maria Droste zu Vischering (1863-1899). Münster 1986; Friedrich Wilhelm BAUTZ: s.v. Droste zu Vischering, Maria Gräfin. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon. I (1990), coll. 1385 sqq.

⁸¹ Portus Calensis: *Porto*.

siti cognoverat, cum ipse anno 1895^o in Portugalia versaretur, ut ibidem monasteria Benedictina visitatione inspiceret. Inde ex illo tempore idem cum ipsa usque ad eius mortem frugiferam coniunctionem spiritualem habuit, quae etiam commercio epistulari de variis thematis instituto manifestabatur.

Ad quaestionem autem Ildefonsi Schober Soror Maria Droste zu Vischering die 31^o m. Iul. a. 1896^o respondebat epistolā,⁸² quā eum adhortabatur, ut munus superioris generalis Ottiliensis susciperet.⁸³ Susplicandum autem est hoc responsum quōque Ildefonso Schober fuisse tale voluntatis Dei signum, quod exspectaverat.

Cum autem etiam cardinali Ledochowski solutio, quae ex petitione patrum Ottiliensium praebebatur, placuisse videtur, Congregatio de Propagandā Fide

⁸² Epistula Sororis Mariae Droste zu Vischering die 31^o m. Iul. a. 1896^o ad Ildefonsum Schober directa (ASO, A.1.8.1) (Copia, cuius originale in archivo Beuronensi asservatur). - *Cfr* etiam Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 271; Frumentius RENNERT: *Kongregation* (1984), p. 33; Bernita WALTER (1985), p. 167; Godfrey SIEBER (1992), pp. 129 sq.

⁸³ Scripsit eadem praeter alia Sacratissimum Cor Iesu abbatiam Seccoviensem protegere, cum Ildefonsus Schober inde propter consociationem Ottiliensem abesset. Sed solem gratiae divinae etiam supra consociationem Ottiliensem lucere. Bonum esse atque signum amoris Boni Pastoris esse, quod Ildefonsus Schober ea redintegrare posset, quae Beuronensis filius quidam infelix defecisset.

die 18^o m. Sept. a. 1896^o abbati primati Hildebrando de Hemptinne facultates tradidit, quibus Ildefonsum Schober superiorem generalem redderet.⁸⁴ Etiam Beuronensis archiabbas Placidus Wolter in epistolā die 21^o m. Sept. a. 1896^o ad episcopum Augustanum datā huic rei assensus est, cum Ildefonsum Schober virum omnino aptum existimaret, qui hōc opus incohatum efficaciter continuare valeret.⁸⁵

⁸⁴ Cfr epistula Hildebrandi de Hemptinne die 29^o m. Nov. a. 1896^o ad Ildefonsum Schober data (ASO, A.2.2.1): «*Quibus perspectis adiunctis Sacra Congregatio de Propaganda Fide hac animorum conspiratione devicta congruas mihi tribuit facultates, ut petitioni eidem satisfacere, litteris suis die 18. Septembris decurrentis anni inscriptis.*» (Textus originaliter Latinus).

Cfr etiam Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 260; Leander BOPP (1954), p. 263; Suso BRECHTER (1963), p. 265.

⁸⁵ Tamen idem haec scripsit sub reservatione, quā novum munus cum officio in abbatiā Seccoviensi praestando coniungi posset. - Cfr Bernita WALTER (1985), p. 170; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47; Paulus WEISSENERGER (1963), p. 300, qui etiam partem huius epistolae Theodisce scriptae affert.

Tamen Hildebrandus de Hemptinne aliquantisper haesitavit, antequam Ildefonsum Schober in novum munus institueret, quia ipse cum Ildefonso Schober loqui atque de hac quaestione consultationes cum eo inire voluit. Hōc factum est, cum Ildefonsus Schober autumnō a. 1896ⁱ Romam vectus esset, ut ipse ibīdem de visitatione, eius effectū atque de proximis gressibus referret. Colloquiis ergo cum Ildefonso Schober habitis abbas primas eundem die 29^o m. Nov. a. 1896^o documento officiali in triennium superiorem generalem consociationis Ottiliensis instituit scribens cum alia tum haec:⁸⁶ *«Te ergo, Reverendissime Domine, dilectissime Frater, auctoritate mihi a Sede Apos-*

⁸⁶ Epistula Hildebrandi de Hemptinne die 29^o m. Nov. a. 1896^o ad Ildefonsum Schober data (ASO, A.2.2.1). - Textus originaliter Latinus.

Cfr de re etiam Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 260, p. 281; Leander BOPP (1954), p. 263; Suso BRECHTER (1963), p. 265; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 86; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 804; Hartmut MADL (1999), p. 65; Godfrey SIEBER (1992), p. 126; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 47. - Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 300 et Bernita WALTER (1985), p. 170 fortasse per errorem diem 25^o m. Nov. a. 1896^o indicant, quo abbas primas Ildefonso Schober superioratum generalem tradidit.

Ceterum Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 32 (ASO, A.1.8.1) mirum in modum narravit illo tempore, de quo hōc in conexū agitur, *«consociationem desiderium sensisse, quo alibi de novo duce spectaret»* (textus originaliter Theodiscus). Deinde idem rettulit P.re Dominico Enshoff specialiter instigante Beuronenses hac in re aditos esse, quia Congregatio Bavarica rem suscipere renuntiavisset. Talibus sententiis monstratur Cyrillum Wehrmeister de vero rerum processū illius temporis non ita multum scivisse. Mirandum solum est, quod decursū annorum, quamvis artam coniunctionem cum abbate Norberto Weber habuisset, scientiam suam non auxit.

tolica delegata, Superiorem Generalem Instituti Sanctae Odiliae ad triennium nomino et constituo, ita ut in omnia in utraque domo, virorum scilicet et virginum, necnon in Missionibus huic Instituto annexis, quaecumque ad erectionem canonicam, ad profectum monasticae disciplinae, vel ad maiorem de missionibus percipiendum fructum iudicaveris opportuna, libere decernere valeas.»

Hunc in modum Ildefonsus Schober facultates possibilitatesque satis amplas accepit. Tamen in eodem documento legitur determinationes quasdam in eo esse, quod in maioribus quaestionibus, quae ad missionem spectarent, Congregatio de Propaganda Fide adeunda esset, et in iis, quae ad sorores atque ad relationem monachorum cum populo spectarent, episcopus Augustanus respiciendus esset, et denique in iis, quae ad res monasticas spectarent, ipse abbas primas adeundus esset.

Die 30^o m. Nov. a. 1896^o Ildefonsus Schober munus suum superioris generalis officialiter accepit suscepitque, quamvis propter difficultates rei inhaerentes atque propter proprias vires, quas putavit non esse sufficientes, dubitationes proferret, tamen secundum indolem suam dicens «*Non recuso laborem*».⁸⁷ Itaque novus superior generalis et copiam laborum et problemata, quae eum exspectaverunt, bene novit. Tamen ipse interea iam coniunctionem quandam internam cum Otilianis eorumque fundatione sēnsit, quā de causā praeter omnes difficultates vires suas libenter praebuit atque auxilium nihilominus libenter tulit. Otiliani autem ipsi de novā spe gaudere potuerunt.

SIGRIDES ALBERT

⁸⁷ Epistula Ildefonsi Schober die 30^o m. Nov. a. 1896^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.2.2.1). (Copia, cuius originale in ordinariatu Augustano asservatur). In initio autem huius epistulae Ildefonsus Schober scripsit haec: «*Annuntiatio a Paternitate Tua Reverendissima nomine et mandato S. Congregationis de Propaganda Fide modo facta, qua ego Congregationis, quae dicitur «Congregatio Germanica O.S.B. pro missionibus exteris», Superior Generalis instituor, perturbationem quandam tristitiamque animae meae intulit, simul cum tentatione tale onus, talem curam effugiendi, quamquam a matrocoenobio Beuronensi auxilium per Priorem vel Magistrum Novitiorum mittendum sit promissum. Recogitanti enim mihi et videnti ex una quidem parte summas difficultates, obvenientes tum ex singulari dictae Congregationis constitutione ac scopo, tum ex implicatis eiusdem negotiis stabili ac efficaci modo componendis; ex altera parte vero vires meas corporales ac spirituales, tanto officio impares nimis, dotes tam exiguas ad effectus tam uberes a novo Superiore Generali omni jure exspectatos nullatenus sufficere conscientia clamat.*» (Textus originaliter Latinus).

[VOX LATINA 182, 2010, pp. 519-545]